

ex Ægypto egressos, in ipsoque adeo deserto, eosdem Liberatoris sui oblitos, & ad idolorum cultum conversos fuisse, Stephanus cum Amoso queritur *Act. VII, 41. seqq.*

§. XIX. Verum hic denuo excipit Bellarminus: *ab Ecclesia Vet. Testamenti non oportere concludi ad Ecclesiam Novi, quod illa tot tantasque promissiones, quantas hæc accepit, non habuerit.* Sed enim respondemus, Ecclesiam V. T. non modo non *minores*, sed & propemodum *maiores*, & *excellentes*, quem Ecclesia N. T. promissiones divinitus accepisse. Nam fœdus, quod in Circumcisione cum Abrahamo, hujusque posteritate inierat, ipse Deus nominat *fœdus sempiternum Gen. XVII, 7.* & de Sione dicit: *Hæc est requies mea in seculum seculi Ps. CXXXVII, 14.* Jeremiæ autem *cap. XXXII, 37.* confirmat, citius universum naturæ ordinem turbatum iri, quam populus Israel suus esse desinat: *Hæc, inquit: dicit Dominus, qui dat solem in lumen diei, ordinem Lunæ, & stellarum in lumine noctis: qui turbat mare, & sonant fluctus ejus: Dominus exercituum: si defecerint leges istæ coram me: tunc & semen Israel deficiet, ut non sit gens coram me, cunctis diebus.* Luculenta, fateor, & plena consolationis promissio est, quod Ecclesia N. T. *fundanda sit super Christo, & quod portæ inferorum adversus eam non sint prævalituræ; sed non minoris momenti promissiones habuit Ecclesia V. Testamenti.* Quid clarius eo: *Fundamenta ejus in montibus sanctis: diligit dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob: Gloriosa dicta sunt de Te, civitas Dei Ps. LXXXVII, 1. 2.* Et quid pulchrius illa Davidis voce: *Deus noster refugium, & virtus: si terra loco moveretur, & montes in medium mare precipitentur: Deus in medio civitatis suæ: non commovebitur: adjuvabit eam Deus ante auroram &c. Ps. XLVI, 1. 2. 6.* Esto
has